Nos Joanna et Carolus dei gratia Reges Castelle Aragonum legionis utriusque Sicilie hierusalem Navarre granate toleti valencie gallecie Maioricarum hispalis Sardinie Cordube Corsice Murcie giennis Algarbii Algezire gibraltaris ac Insularum Canarie necnon Insularum India-
rum et terre firme maris occeani Archiduces Austrie Duces Burgundie et Brauantis etc. Comites Barchinone flandrie et tiroli etc. domini vizcaye et Moline etc. ac etiam Duces Athenarum et neopatrie Comites Rossilionis et Ceritanie Marchiones oristanni et gociani Universis et
singulis presentium seriem inspecturis tam presentibus quam futuris Solent Reges et principes cum premiambus in promptu non habent unde subditis fidelibus suis gratitudinem benefaciendi et remunerandi ostendere possunt re et opere illis gratias expectativas concedere
ut spes remuneracionis illos foveat et ceteri ad fideliter serviendum inducantur Considerantes itaque plura et multiplicia ac fructuosa servicia per magnificum et dilectum Capitaneum nostrum Petrum puyero strenuum militem ab ineunte etate sua Serenissimo ac Catholico Regi
ferdinando patri et avo nostro indelebilis memorie in omnibus bellis prelijs et pugnis Italie fortiter et strenue pugnando una cum magnifico Joanne puyero genitore vestro et post vestri patrem in omnibus bellis Lonbardie multifariam multisque modis eidem Catholico
Regi et Cesaree Maiestati patri et avis nostris clarissimis ea presertim servicia que in lombardia in bressano et bergamasco fecistis sillencio pretermittere nolumus nam omnis magne quantitatis militum et peditum nostri exercitus prudenter et cum sapiencia exer-
cuistis opidaque in dicto bressano et bergamasco in quibus Status cesareus et Regius consistebant strenue defendistis et magnam partem Status Mediolani tamque in vobis fuit fides quod magna pars tocius status vobis ad gubernandum fuit comissa in quibus omnibus
et alijs cum omni prudencia fidelitate et strenuitate vos habuistis quod merito comendandus et remunerandus venitis prefataque Cesarea et Regia Maiestates si viverent in vobis animi gratitudine haud dubium est ostendissent omnibus omnibus attentis et affective
vestri dicti petri puyero ad nobis serviendum Tenore presentis de nostra certa sciencia deliberate et consulto motuque nostro proprio ut vos idem Petrus puyero animum gratificandi in nobis cognoscatis vobis eidem petro puyero heredibusque et successoribus vestris utri-
usque sexus ex vestro corpore legitime descendentibus damus donamus et graciose elargimur atque concedimus ex bonis feudalibus inhabitatis seu burgensaticis ad Curiam nostram devolvendis tot et tanta quod fructus et redditus illorum ascendant ad summam seu
valorem quatuorcentorum ducatorum auri largorum annui redditus solutis oneribus in feudum tamen et sub debito et contingenti feudali servicio quotiens in dicto Regno indicetur quod servicium pro vobis heredibusque et successoribus vestris facere et
prestare promittere teneamini in acquisicione dictorum bonorum Ad habendum siquidem tenendum possidendum usufruendum vendendum donandum causa dotis vel alias transferendum legandum et alienandum ad omnimodas voluntates vestras
tamque de re propria Regio tamen assensu reservato Investientes ex nunc pro tunc vos dictum petrum puyero pro vobis et heredibus et successoribus vestris predictis de dictis bonis et feudis inhabitatis ad Curiam nostram devolvendis in dicto Regno
in uno vel pluribus usque ad dictam valorem quatuorcentorum ducatorum annui redditus per expedicionem huiusmodi nostri privilegij quod vim robur et efficaciam vere realis et actualis possessionis adepte habere volumus et decernimus Itaque ipso iure cum
primum vacaverint dominium et possessio sit et esse debeat translatum et translata in vos vestrosque heredes et successores predictos vigore presencium absque alia executoria vel mandato nostro seu vicerregis aut cuiusuis alterius officialis nostri in dicto Regno
necnon ad maioris gratie cumulum concedimus et graciose elargimur quod si ante vacationem seu devolucionem dictorum feudorum seu bonorum burgensaticorum et illorum effectivam consequtionem etiam pleno dominio et naturali ac civili et actuali pos-
sessione vacare contingerit unum vel plura officia in dicto Regno ad nos et nostram Curiam legitime spectancia possitis et valeatis ad vestri libitum voluntatis ipsa officia aceptare que sint provisionis et valoris ducatorum predictorum quatricentorum
de auro anno quolibet deductis omnibus oneribus que quidem officia unum vel plura usque ad dictam annuam provisionem ducatorum quatricentorum de auro deductis oneribus cum primum vacaverint et per vos fuerint aceptata vobis prefato Petro pu-
yero vita vestra durante ex nunc pro tunc conferimus et collata esse volumus ipso iure tenore presencium in solutum dictorum quatricentorum ducatorum et in illorum deductionem Cum potestate substituendi personas siquidem idoneas et fide dignas de
quarum culpis et defectibus vos principaliter Curie nostre teneamini ac cum omnibus iuribus iurisdictionibus lucris obvencionibus provisionibus privilegijs immunitatibus honoribus et oneribus solitis debitis et consuetis serviciis ipsorum et ad officia ipsa spectanti-
bus et pertinentibus tam de iure quam de consuetudine Itaque vos solus et nemo alius per vos seu dictos substitutos vestros officium sive officia ipsa teneatis regatis exerceatis et administretis vita vestra durante hoc tamen expresse declarantes quod si officia ipsa elegeri-
tis et illa fueritis consecutus realiter et cum effectu ex tunc cesset et cessare debeat supradicta expectativa in bonis feudalibus seu burgensaticis vobis supra concessa et econtra si assequtus fueritis bona predicta feudalia seu burgensatica cesset et cessare de-
beat huiusmodi gratia expectativa in dictis officijs Volentes et expresse decernentes quod huiusmodi nostra gratia expectativa sit vobis dicto petro puyero vestrisque heredibus et successoribus predictis nunc et omni futuro tempore firma stabilis valida et realis nullumque
in iudicijs aut extra senciat dubietatis obiectum defectus incomodum aut alterius noxe detrimentum sed in suo robore et valore semper persistat fidelitate tamen nostra feudalique servicio et adoha et nostris alijs iuribus semper salvis Quapropter Illustri vicerregi
Locumtenenti et Capitaneo generali dicti nostri Sicilie citra farum Regni Magno Camerario eiusque Locumtenenti presidentibus et racionalibus Camere nostre summarie thesaurario nostro generali seu generalem thesaurariam in dicto Regno regenti advocatoque
et procuratoribus fiscalibus gubernatoribus et auditoribus quarumcumque provinciarum Ceterisque demum universis et singulis officialibus et subditis nostris tam maioribus quam minoribus quocumque nomine nuncupatis et iurisdictione quamcumque exercentibus dictorumque
officialium Locumtenentibus presentibus et futuris ad quem seu quos spectat et spectare poterit in futurum dicimus et districte precipiendo mandamus quatenus huiusmodi nostram gratiam et Concessionem ceteraque omnia precontenta et expressata vobis
prefato Petro puyero dictisque heredibus et successoribus vestris teneant firmiter et observent tenerique et inviolabiliter observari per quos deceat faciant Necnon ij eorum ad quos spectet ad solam huiusmodi nostri privilegij ostensione nulla alia provisione manda-
to aut consulta expectatis ex dictis bonis feudalibus et burgensaticis in dicto Regno ad Curiam nostram devolvendis tradant et assignent vobis dicto petro puyero pro vobis heredibusque et successoribus vestris predictis seu ex dictis officijs vita vestra perdurante cum
potestatibus predictis tot et tanta quod illorum redditus in portatis deductis oneribus ascendant ad valorem dictorum quatricentorum ducatorum auri annis singulis Et in illorum possessionem vos ponant et inducant positumque et inductum manute-
neant et defendant contra cunctos Et contrarium non faciant aut fieri permittant racione aliqua sive causa pro quanto gratia nostra eis cara est et preter iram et indignacionis nostre incursum penam ducatorum auri Mille cupiunt evitare Quoniam sic de men-
te nostra incomutabili omnino procedit Adijcimus tamen quod casu provisionis predicte et postquam vos dictus Petrus puyero seu procurator vester adepti fueritis possessionem actualem seu quasi dictorum bonorum infra unum annum a die adepte possessionis in Ca-
mera nostra summarie teneamini prestare fidelitatem et solvere feudale servicium et alia facere ad que racione dictorum bonorum sitis obligatus In cuius rei testimonium presentem fieri iussimus nostro negociorum Sicilie citra farum Regni magno sigillo impendenti
communito Datum in Civitate nostra Barchinone die vicesimo mensis Junij Septime indicionis anno a Natiuitate domini Millesimo quingentesimo decimo nono Regnorumque nostrorum videlicet Regine Castelle Legionis Granate etc. anno decimo sexto Navarre
Aragonum utriusque Sicilie hierusalem et aliorum quarto Regis vero omnium quarto.

Yo el Rey

Vidit Cans et pro magistro camerario

Vidit ...

So pro nunch ducatos decem
et in executione integrum residuum
Joannes taxator

Dominus Rex mandavit
mihi Joanni hannart

Vargas ...
pro notario

In privilegio ...
C. ... Lxiii

Concede V. al. a capitan pedro [illegible] M ducados de oro de renta [illegible] para si
y sus herederos y [illegible] legitima mente desçendientes en feudo en los feudos sin vas-
sallos o bienes burgensaticos q vacaren en napoles o en tantos officios de su vida q no excedan la
dicha summa de manera que aceptando lo uno cese lo otro y la dicha merced no exceda [illegible] de dichos
M ducados de renta